

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ,

*DE JUSTIFICATIONE HOMINIS
per Gratiā.*

QUARUM VERITAS,
DEO DUCE ET AUSPICE DEIPARA VIRGINE,
PROPUGNABITUR

*Die Mercurii 14. Aprilis 1723. serotinis horis à secundā
ad quintā.*

IN REGIO
LUDOVICI MAGNI COLLEGIO
SOCIETATIS JESU.

H. J. v. 64.
(19)



PARISIIS,

E Typographiā LUD. SEVESTRE, viā Amygdalinā, è regione
Collegii Grassinæi, sub Monte sancti Hilarii.

M. DCC. XXIII.

CONCLUSIONES

THEOLOGICAE

DE JUSTIFICATIONE HOMINIS

per Gregorium

QUARUM VERITAS

DEO DOCE ET AUSPICE BRUNO KRUMHOLTZ

PROFUNDIUS

IN ALIIS REBUS

et

IN REGIO

LUDOVICI MAXIMI COLLEGIO

SOCIETATIS



PARISIIS

Typographia LUD. SEVESTRE, rue d'Angoulême, 67
Collection G. et al., 100 Montmartre

M. DCC. XXII

3

CONCLUSIONES
THEOLOGICÆ.

DE JUSTIFICATIONE HOMINIS PER GRATIAM.

Cum justificatio hominis per gratiam duo essentialiter connotet, & peccatum à quo liberetur homo, & gratiam per quam liberetur, duplex erit disputationis nostræ argumentum. In primo peccati natura & effectus explicabuntur, variæque ejus afferentur species. In altero, expositâ gratiæ Dei per Christum naturâ, catholica hac super re dogmata statuentur, hæretica refellentur.

P A R S P R I M A.

DE PECCATIS.

PECCATUM ORIGINALE.

Peccatum originale vocamus illud, quod ex Adamo tractum remitti dicitur per Baptismum.

I. *Peccati originalis existentia.*

PECCATUM originale in singulis Adami posteris existere, est per Adamum justitiâ originali cæterisque supernaturalibus privilegiis spoliatum & peccatorem actuali suâ culpâ constitutum, nos quoque vel ante nativitatem, ipso conceptionis nostræ exordio, verè ac propriè constitui peccatores. Porro illud ipsum peccatum in unoquoque hominæ ante Baptismum reperiri ita certum est, ut nullum ferè fidei nostræ dogma clariùs in Scripturâ, in Patrum (exceptis fortè duobus aut tribus) traditione, in Ecclesiæ definitionibus contineatur. Declaramus tamen cum Tridentino, non esse nostræ intentionis beatam Virginem in hac assertionem comprehendere.

II. *Zozimus ab errore opposito vindicatus.*

PELAGIUS & Cœlestius hoc imprimis dogma impugnandum temporibus Augustini susceperunt. Et quia de illorum personis Zozimus summus Pontifex sensit aliquando benigniùs, non desunt qui, ut omnem summorum Pontificum auctoritatem labefactent, eandem Zozimo hæresim adjudicent temerè. Qui verò ita in hacce Historiæ & Traditionis parte cœcutire amant, videant ne omnem sibi in aliis partibus fidem ipsi adi-

mant. Hæret eorum enim personam aliquando, errorem Zozimus appro-
bavit nunquam: *Voluntas emendationis*, inquit Augustinus, *non falsitas*
dogmatis approbata est.

III. *Hæretica de peccati originalis essentiâ sententia.*

ESSENTIAM peccati originalis reponunt, alii post Matthiam Il-
lyricum in malâ substantiâ, alii post Lutherum & Calvinum in con-
cupiscentiâ per se malâ moraliter, alii post Jansenium in habituali con-
cupiscentiâ dominatû ad malum de se necessariò inclinante. Triplicem
hanc sententiam hæreticam demonstrant Tridentinæ definitiones. Eam-
dem essentiam Recentior quidam ponit in habituali ad bona sensibilia
conversione quæ à materni cerebri vestigiis in cerebrum infantile impres-
sis oriatur: at cùm ea sententia in Lutheranam videatur recidere, hanc
saltem ut erroneam rejicimus.

IV. *Catholicorum de peccati originalis essentiâ opiniones.*

SI quosdam Catholicos audias, peccatum originale nihil est aliud
quàm, vel ipsum actuale peccatum Adami nobis propter decre-
tum Dei extrinsecè imputatum, vel idem peccatum moraliter nostrum
adeoque intrinsecè nobis imputatum, vel sola gratiæ sanctificantis & ori-
ginalis justitiæ privatio. Triplex autem illa sententia à nobis rejicitur.
Prima, quòd Deum peccati originalis authorem faciat, vel propriè dic-
tam peccati rationem à nobis tollat. Secunda, quòd nihil nisi verba
primæ addat, & absurdè supponat quòd voluntas aliena possit esse mo-
raliter nostra in ordine ad peccandum. Tertia, quòd non explicet quo-
modo peccatum originale nobis sit verè intrinsecum, & per generatio-
nem propagetur.

V. *Augustini & nostra de peccati originalis essentiâ doctrina.*

NOS post D. Augustinum peccatum originale in concupiscentiâ reâ
quæ sit per accidens tantùm peccatum formale, reponendum ar-
bitramur. Sic igitur rem totam explicamus. Deus nobis in Adamo decre-
vit, 1°. Finem supernaturalem per media proportionata obtinendum. 2°.
Immunitatem concupiscentiæ, consequenter ad aliud decretum de non
conjungendâ simul concupiscentiâ & gratiâ sanctificante. Adamus factus
est per peccatum actuale concupiscens, unde nos genuit concupiscen-
tes. Concupiscentia illa, juxta hyporhesim suprâ explicatam, facta est gra-
tiæ sanctificantis exclusiva, & quidem contra præcipuam Dei de eleva-
tione primariâ voluntatem. Ergo posuit illa nos in statu quem nolebat
Deus: ergo facta est in nobis vitium & peccatum. Hinc igitur concupis-
centia nobis intrinseca & à parente concupiscente hausta in nobis est pec-
cati originalis *materiale*: vis autem gratiæ sanctificantis exclusiva, seu
reatus concupiscentiæ in illâ vi exclusivâ consistens, est ipsum peccati
formale.

VI. *Peccati originalis poena.*

IGNORANTIAM, morbos, mortem, cæterasque, quibus obnoxii
sumus omnes, misérias, totidem peccati originalis in hac vitâ pœnas esse
nemo est Catholicus qui dubitet. Quænam verò in alterâ vitâ futura

5
sint non ita certum est. Parvulos sine Baptismo cum reatu peccati originalis decedentes, & nullo modo beatos esse, & pati etiam aliquid constare videtur ex fide. Verum an pœnam sensûs seu pœnam ignis experturi sint, difficilis est quæstio, quam nec Scripturæ authoritas, nec Patres, nec ipsemet Augustinus, satis dirimunt. Sententiam negantem tanquam magis & rationi & communi fidelium sensui consentaneam amplectimur.

VII.

Libertas in homine lapsæ superstes.

PENAM libertatis amissionem esse justissimam hominis per peccatum originale lapsi pœnam contendit Jansenius post Lutherum & Calvinum; cum eo tamen discrimine, quod hi nomine libertatis intelligentes libertatem à simplici necessitate, cujus & nomen & rem rejiciunt, sententiam suam non dissimulent; Jansenius verò nomine liberi arbitrii retento solam à coactione libertatem agnoscat, quam cum eo admittunt Protestantes. Nos libertatem à simplici necessitate, quæ est indifferentia activa, seu potestas voluntati intrinseca se determinandi ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, positis omnibus ad agendum prærequisitis; libertatem, inquam, sic sumptam in homine lapsæ existeret ita efficacibus argumentis demonstrari contendimus, ut contraria sententia & fidei & rationis ipsius lumini repugnet.

VIII.

Libertas ad merendum & demerendum.

INDE etiam efficitur libertatis in homine existentia, quod necessaria sit ad merendum & demerendum libertas à simplici necessitate. Id negant ex hæreticis, alii universè de homine, alii de homine tantum in hoc nostro statu spectato: eodem autem recidit quod hi dicunt, peccata accipere culpabilitatem ex libertate indifferentiæ quâ factum est Adæ peccatum. Qui uterque error meritò damnatus est. Primus quidem in hac tertiâ Jansenii propositione: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à simplici necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Secundus verò in istâ Baïanorum propositione: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas quâ voluntarium ac liberum fuit in suâ causâ, peccato scilicet originali & voluntate Adami peccantis.*

IX.

Peccata ignorantia & concupiscentiæ.

APRISTINO statu delapsus homo, invitus concupiscentiæ motus experiatur, & multa ignoret necesse est. Motus concupiscentiæ indeliberatos non esse peccata formalia luce ipsâ meridianâ clarius est. De ignorantia invincibili juris positivi ultrò fatetur Jansenius, id quod ex eâ fit non esse peccatum propriè dictum: at operantem ex invincibili juris naturalis ignorantia non excusat à peccato formali. Hoc postremum refellitur autoritate, tum sanctorum Patrum, tum Alexandri VIII. damnantis hanc propositionem: *Tamet si detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato.* Quo autem sensu peccata ex ignorantia invincibili ortâ Augustinus vocet aliquando, saltem in non renatis, culpas formales, dicetur in secundâ parte de Gratiâ.

X.

Infidelium opera.

AL I U M, & quidem deplorandum maximè, orta ex peccato originali ignorantia fœtum peperit, infidelitatem scilicet. Omnes quidem concedunt opera facta ex positivâ infidelitate, adeoque formaliter contra cultum veri Dei, esse peccata formalia. An vero stante infidelitate nulla opera fiant, quæ non sint peccata formalia, controversatur? Affirmant post Lutherum & Calvinum Baius & Jansenius divi Augustini autoritate abutentes. Nos contrâ statuimus, multa infidelium opera non esse peccata, & inter illa quæ peccata sunt, plurima etiam non esse nisi in radice nondum remissâ culpabilia. Ita docet Scriptura, ita sentiunt Patres, ita expressè declarat Ecclesia in Constitutionibus Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII.

PECCATUM ACTUALE.

Peccatum actuale dicitur, illud quod propriâ voluntate committitur. Nobis autem de illo agentibus non omittenda sunt operum moralium & prima regula, & finis ultimus.

X I.

Prima bonitatis & malitiæ moralis radix.

PR I M A bonitatis & malitiæ moralis radix, unde fluunt peccati actualis essentia & proprietates præcipuæ, dicitur, universale & omnium primum fundamentum; cui si conformis est actio, dicitur bona moraliter seu honesta; si difformis est, dicitur mala moraliter & inhonesta. Hanc in homine, v. g. dicimus esse, naturam humanam comparatam, & cum Deo primo principio ultimoque fine, & cum individuis eam participantibus, & secum ut humana est. Sic enim natura humana veras officiorum omnium rationes ita efficit, ut etiam sub duobus postremis respectibus præcisè considerata, de se aliquid ab homine fieri vel omitti exigat.

X I I.

Quomodo opera ad finem ultimum referenda.

IN omni opere quod ad Deum propter se dilectum non refertur, vel explicitè, vel saltem virtualiter vi intentionis in aliquo effectu suo residuæ, malum imò & peccatum formale esse contenderunt omnes ferè sæculorum 16. & 17. Novatores. Eodem recidit quod aiunt Baius & Jansenius, malum esse opus omne quod non sit ex fide per charitatem operante. Homo omnes actiones suas deliberatas aliquo modo ad Deum, tanquam ad finem simpliciter ultimum, referre teneatur: at eum omnia ex Dei propter se dilecti amore facere teneri sub peccato, nullâ Scripturæ aut Traditionis autoritate, nullâ ratione idoneâ astruitur.

X I I I.

Peccati actualis natura.

OM N E peccatum actuale secundum primariam essentiam suam consideratum rectè definiri potest, actio disconveniens intrinsecè naturæ rationali. Licet enim hæc natura non semper habeat ratione sui præcisè, ut ipsi disconveniat talis actio quæ dicitur peccatum, id habet ratione circumstantiarum, quatenus v. g. est subdita & ad finem ultimum facta, quatenus habet proximum. Igitur rationes quæ fundant disconvenien-

tiam actionis cum naturâ humanâ, tres sunt hominis respectus, ad Deum, ad proximum, ad seipsum: præter quos omnibus communes quidam sunt accidentarii, iique pro varietate personarum varii. Utrum verò illa actionis disconvenientia positiva sit, an privativa, parum curamus.

XIV.

Peccati actualis proprietates

HÆC in omni peccato actuali reperiri constat, 1°. Quòd sit injuria Dei. 2°. Quòd sit offensa formalis Dei. 3°. Quòd sit contemptus Dei aliquis. 4°. Quòd sit aversio à Deo. At hoc imprimis advertendum. 1°. Injuriam Deo non fieri formalem, nisi positâ Dei cognitione & per actum reflexum quo peccator videt se violare jus Dei. 2°. Offensam Dei formalem non semper supponere injuriam formalem, cum iis etiam formaliter offendatur aliquis unde non patitur injuriam formalem. 3°. Ex eo quòd peccatum sit formalis Dei injuria non sequi, ipsum esse contemptum propriè dictum. 4°. Peccatum omne quod est realis aversio à Deo, non ideo esse aversionem à Deo affectivam.

XV.

Peccatum philosophicum.

DIXIMUS primam bonitatis & malitiæ moralis radicem, esse naturam humanam in officiis aliquibus etiam sine respectu ad Deum formaliter cognitum. At, inquiunt, in hypothese Dei invincibiliter ignorati aut non cogitati, malitia moralis consistens in pugnâ actûs cum naturâ rationali, non erit Theologica seu verè Dei offensiva; unde inducetur damnatus peccati meri philosophici error. Respondemus, 1°. Negari hypothese Dei invincibiliter ignorati, saltem ab eo qui sit peccare idoneus. 2°. In allata etiam hypothese peccatum semper trahere rationem offensæ ex respectu ad Deum, in cujus, licet ignorati, voluntatem incurritur, cum sit jurium naturæ vindex. 3°. Errorem peccati philosophici non esse in hac propositione: *Si Deus ignoraretur invincibiliter, tunc peccata non essent offensa Dei formales; sed in istâ: Quisquis Deum ignorat, vel actu non cogitat, non peccat nisi philosophice.* Id patet ex propositione ab Alexandro VIII. damnatâ.

XVI.

Peccati actualis malitia.

PECCATI omnis actualis malitiam intrinsecè & entitativè finitam esse tam certum est, quàm constat omnes illius causas finitas esse: cum autem peccatum Deo ut infinito, adeoque infinite disconveniat, sequitur malitiam ejusdem peccati esse extrinsecè, comparativè, æquivalenter infinitam. Ex eâ malitiâ oritur Dei erga peccatum odium: hoc autem, quâ parte fundatur in ipsâ intrinsecâ peccati malitiâ, finitum est & effectum habet finitum: sed quâ parte fundatur in extrinsecâ peccati malitiâ, infinitum est & pro effectum importat infinitam divinæ voluntatis confirmationem in odio finito; simpliciter quidem dicto, si agatur de peccato mortali; secundùm quid dicto, si agatur de veniali.

XVII.

Peccatum mortale & veniale.

WICLEFFUS, Lutherus & Calvinus asseruerunt, peccata omnia esse ex seipsis mortalia, nec venialia ulla dici nisi pro certis personis, quibus à Deo non imputentur: non imputari autem censue-

runt, Vvicleffus electis, Lutherus & Calvinus iustis seu fidem iustifican-
tem habentibus. Baius verò ex eo quòd veller omne peccatum de se me-
reri pœnam æternam, nullum ex naturâ suâ veniale pariter affirmavit.
Nos rejectis his omnibus erroribus, asserimus tanquam fide certum,
dari peccata ex genere suo & ex naturâ rei, alia mortalia, alia venia-
lia, seu potiùs alia gravia, alia levia: licet autem essentiale utrorumque
discrimen afferri difficilè possit, potest tamen.

XVIII.

Specialis peccati mortalis notio.

PECCATO gravi accedit ratio mortalis præcipuè, tum ex condi-
tione statûs elevati, tum ex offensæ conditione. 1°. enim denomina-
tio *mortalis* in nostro statu ex eo desumitur, quòd peccatum spiritalem
animæ mortem inferat, eam privando gratiâ habituali: unde non nisi
alio sensu peccatum grave in statu naturæ puræ futurum fuisset mortale;
hoc scilicet, quòd amicitiam cum Deo naturalem tantùm dissolvisset. 2°.
Ex offensâ gravi id imprimis peccatum habet, ut in voluntatem divinam
aliquo modo incurrat *simpliciter & totaliter* voluntas humana: unde hac
ex parte Deus inducitur maximè ad dissolvendum cum creaturâ peccante
& graviter offendente amicitiam.

XIX.

Reatus peccati mortalis.

DUPLEX in peccato mortali actuali distinguitur reatus, nempe &
odii divini incurrendi & pœnæ alicujus subeundæ: duplex enim
à peccato actuali, etiam præterito, jus Deo offertur odii & pœnæ, quo-
rum unum sine altero acceptari potest. Reatus ille simpliciter dictus in
peccatore patiendi odii divini propter peccatum actuale præteritum exis-
tens intentionaliter in mente Dei, idipsum est quod vocatur peccatum
habituale. Reatus verò pœnæ non nititur, ut quidam volunt, reatu odii
seu peccato habituali, sed eo jure quod à peccato actuali, etiam præte-
rito, offertur ad pœnam infligendam peccatori, non minùs quàm ad
ipsum odio habendum. Hic reatus est ex naturâ rei æternus & pœnæ æter-
næ, quam pœnam damnatis infligi fide constat.

P A R S S E C U N D A.

D E G R A T I A.

G R A T I A G E N E R A T I M S U M P T A.

Ostendenda est gratiæ natura, gratuitas & necessitas.

XX.

Gratiæ natura.

GRATIA Dei per Christum, eaque actualis interior (de quâ solâ
agimus) si ratione conceptûs spectetur, est auxilium gratuitum, su-
pernaturale, transiens, interiùs à Deo propter Christi merita submini-
stratum

cratum homini ad bene agendum & abstinendum à malo. Si secundum rem ipsam sumitur, consistit in illustratione intellectus seu pia mentis cogitatione, & inspiratione seu motione sancta voluntatis, juxta illud Tridentini: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem.* Alia dicitur præveniens, alia adjuvans: sed utriusque par est natura.

XXI.

Gratia gratuita.

EX eo quod gratia sit, patet eam ex mera Dei misericordia & gratuito concedi, maxime cum sit aliquid supernaturale adeoque prorsus indebitum. Hanc ergo secundum merita naturalia dari hæresis est, eaque tum in Pelagianis, tum in Semipelagianis damnata. Tamen quamvis nullus actus solis naturæ viribus elicitus possit habere ad gratiæ auxilium supernaturale rationem meriti, aut dispositionis per se, aut etiam conditionis *sine quâ non*; istud Theologorum veterum axioma, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, facile commodâ interpretatione admittit sensum legitimum.

XXII.

Gratia necessitas ad vitanda peccata.

CUM omne Dei auxilium, etiam in entitate naturale, factum sit per peccatum originale indebitum; sequitur, hominem nunc non posse sine gratiâ aliquâ, quæ sit & in modo saltem supernaturalis & vera Dei per Christum gratia, servare totam legem naturalem; imò nec ullum contra leges ordinis naturalis specificas peccatum vitare, nec ullam superare tentationem posse; per illam autem gratiam hæc omnia posse quemlibet hominem contendimus, non tamen ut oportet ad salutem. Nec ideo incurritur in istam Novatorum damnatam propositionem: *Liberum arbitrium sine gratia Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet*; hæc enim propositio longè alio sensu ab hæreticis prolata est.

XXIII.

Gratia ad actus moraliter bonos necessitas.

IN hoc statu nostro elevationis sunt qui putent, teneri nos omnia ad finem supernaturalem facere: quæ sententia si vera deffendatur, sequetur ad omne opus moraliter ex omni parte bonum necessariam esse gratiam Dei per Christum in entitate supernaturalem. Atque hæc fuit mens D. Augustini, qui cum putaverit hominem elevatum debere omnia ad finem supernaturalem referre; nihil aliud de infidelium operibus censuit, nisi ea, quæ non sunt ex fide (saltem latè dictâ) esse quoad circumstantiam finis extrinseci aliquâ ex parte vitiata: non autem ea esse intrinsecè & in se mala putavit. Unde longè discrepat sententia Baii pronunciantis simpliciter, *Omnia infidelium opera esse peccata.*

XXIV.

Gratia ad actus salutes necessitas.

QUOD si actio cujuscumque ordinis, etiam merè naturalis, gratiâ Christi aliquâ indigeat, ut sit qualitercumque medium ad vitam æternam obtinendam: quantò magis gratia Dei actualis per Christum in entitate supernaturalis nunc homini elevato ad singulos actus de se salutes necessaria est! Hanc certè necessitatem, tum ad quodlibet opus per se conducens ad salutem, tum ad fidem ipsumque fidei initium ita invictissimè Scriptura & Ecclesiæ traditio, non repugnantibus Patribus

Augustino antiquioribus, demonstrant; ut quisquis hanc veritatem negaverit, in hæresim dudum damnatam incurrat.

XXV. *Gratia ad perseverandum in iustitiâ necessitas.*

CUM gratia perseverantiæ, seu gratiarum efficacium series merito non sit proposita, sequitur; & *auxilium Dei semper iustis esse implorandum*, quod voluit Arausicanum secundum post Augustinum; & *hominem semel iustificatum non posse in acceptâ iustitiâ perseverare sine auxilio gratiæ speciali*, quod voluit Tridentinum. Porro volebant Pelagiani, iustum per solius arbitrii vires perseverare; eò respicit Arausicanum: volebant Calviniani, iustitiam esse inamissibilem; eò respicit Tridentinum. Unde vox *specialis* potest intelligi, vel de gratiâ à gratiâ justificationis distinctâ, vel de gratiâ externâ, qualis est subductio tentationum & mors opportuna: quod utrumque de fide est.

XXVI. *Gratia divisio in efficacem & sufficientem.*

GRATIAS quibuscum verè agatur, nec semper, nec omnibus omnino dari, patet ex eo quòd plurimi & malè agant & damnentur. Cum tamen eum qui damnatur & malè agit non habuisse unde salvaretur & benè ageret, si voluisset, nefas sit & blasphemum dicere: hinc inducta est divisionis necessitas, in gratiam efficacem & gratiam sufficientem. Per hanc autem nihil intelligitur aliud, quàm gratia quâ potest agi & non agitur; per illam exprimitur, gratia quâ & potest agi & reipsâ agitur.

GRATIA SUFFICIENS.

XXVII. *Gratia sufficientis motiva & existentiâ.*

AD MITTI debet in statu naturæ lapsæ gratia verè simul ac merè sufficiens; verè quidem sufficiens, quia dat verum posse agere bene; merè autem sufficiens, quia semper caret effectu, & quidem solâ voluntatis culpâ. Talis autem gratiæ, quæ sit medium salutis consequendæ idoneum, admittendæ motivum esse asserimus, eam, quæ in Deo est, sinceram omnes homines salvandi voluntatem; hæc enim exigit ut nemo sit qui mediis ad salutem verè sufficientibus careat, saltem remotis. Hanc gratiam non admittunt Novatores qui affirmant: *gratia interiori in statu naturæ lapsæ non resisti*. At eos apertissimis Scripturæ, Conciliorum, summorum Pontificum & Patrum testimoniis refragari necesse est.

XXVIII. *Gratia sufficientis universalitas & causa memoria.*

QUAM certum est igitur, & Deum velle etiamnum sincerè omnes homines salvos fieri, & Christum qui est causa gratiæ meritoria pro omnibus omnino & singulis hominibus mortuum esse: ita constat, gratiam omnibus & singulis hominibus ad salutem sufficientem dari, juxta illud D. Pauli testimonium: *qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. Quidquid objiciant Novatores, quoquo modo hanc Apostoli decisionem declinent, hoc certè confidenter asserimus. Qui Christum pro solis electis sanguinem fudisse asserat, eum damnatam in quintâ Jansenii propositione hæresim renovare.

XXIX. *Gratia sufficientis quoad parvulos & adultos effectus.*

EX principio isto semel posito & invictissimè stabilito duæ paris ferè evidentiæ conclusiones deducuntur. 1°. Iphis parvulis in utero materno morientibus parata esse aliqua & verè sufficientia salutis media: quibus verò ipsorum vice concedantur, an eos quibus conceduntur necesse sit cognoscere ad quem finem talia media Deus referat; non facilis est quæstio, sed tamen non insolubilis. 2°. Ante admissa saltem peccata mortalia actualia penes adultum quemlibet, etiam infidelem, esse personaliter salutem suam ope gratiæ consequi; alioquin enim Deus non ipsius saluti sufficienter providisset.

XXX. *Gratia sufficiens quoad præceptorum possibilitatem.*

GRATIAM sufficientem dari omnibus, est etiam, ut patet, omnia Dei mandata cuilibet homini fieri possibile; saltem eo sensu, quòd non observatio alicujus mandati, quod factum fuisset per accidens impossibile, non imputetur ad culpam. Hoc tanquam dogma fide certum quoad justos definierunt Concilium Tridentinum adversus Protestantes, & Innocentius X. in primæ propositionis Jansenianæ damnatione. Hoc etiam quoad ipsos peccatores ita verum esse quisque rationis compos intelliget, ut contrarium sentire non possit, nisi qui omnem & divinæ bonitatis & justitiæ ideam deponat, & Scripturæ & Traditionis auctoritatem rejiciat.

XXXI. *Gratia sufficientis subtractio.*

SIC auxilium proximè vel remotè sufficiens à Deo justo & bono distribuitur omnibus, ut tamen non negandum sit absolutè, illud induratis & obcæcatis consequenter ad certum scelerum gradum certamve qualitatem justè subtrahi posse. Quanquam ne ipsa quidem induratio & obcæcatio vi suæ optionis gratiam omnem excludit: unde negamus eo sensu induratos esse aliquos & obcæcatos, quòd non eorum absolutè culpa sit si è peccatorum cœno non emergant. Qui contrarium sentiunt nullo vel Scripturæ, vel Patrum, vel ipsius Augustini irrefragabili testimonio probabunt unquam; peccatorem ullum, dum vivit rationis compos, carere prorsus omni salutis obtinendæ potentiâ.

G R A T I A E F F I C A X.

XXXII. *Varia de gratiâ efficaci sententia.*

UNDE repetenda sit infallibilis gratiæ efficacia, nodus est in Theologia ferè inextricabilis. Hanc Catholici reponunt; alii quidem in eo quòd hominis voluntatem physicè prædeterminet ad talem determinatè actum; alii in solo eventu conditionatè futuro; alii in quâdam præcisè gratiæ cum voluntate congruentiâ, quæ sit ipsius vel major vehementia, vel quâdam cum præsentibus voluntatis affectibus temperatio. At prima sententia non satis cum libertate conciliari posse intelligitur; secunda non satis efficacem gratiam discernit à sufficienti; tertia, ut catholica sit, non satis astruit infallibilem & Dei præscientiam & gratiæ efficaciam.

XXXIII.

Vera gratia efficacis notio.

DISCRIMEN igitur gratiæ efficacis à sufficiente in eo videtur reponendum; quod gratia quæ dicitur efficax prævisa sit habitura effectum si detur, deturque tum ex prævisione illa, tum ex intentione futuri consensûs seu boni operis quod prævidetur: gratia autem quæ dicitur sufficiens prævisa sit non habitura effectum si detur, deturque & cum illa prævisione non futuri consensûs, & ex intentione tantum possibilitatis boni operis. Hinc 1°. non requiritur ut auxilium sufficiens discrepet penes intrinsecum ab efficaci. 2°. Auxilium efficax dici nihilominus debet speciale Dei beneficium.

XXXIV.

Gratia efficacis cum libertate concordia.

DUO hac in re ponenda sunt, quæ passim in sacris codicibus traduntur. 1°. Dari in Deo scientiam conditionalium, quâ certò videat quid acturi essent homines singuli, si certæ iis gratiæ certis in circumstantiis darentur. 2°. Scientiam illam Deo in decretis suis formandis præluere. His positis rectè conciliantur hæc duo quæ fides docet: 1°. Deum habere *humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam voluntatem*. 2°. *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire, si velit*. Et verò in hac hypothese non magis libertati humana nocet gratiæ efficacitas, quam vel ipsa actûs futuri prævisio, vel sincera in Deo salutis nostræ voluntas.

XXXV.

Gratiæ sanitatis à medicinali discrimen.

JUXTA hæreticos, gratia sanitatis Adamo innocenti concessa in eo differt à gratiâ medicinali quæ lapsis conceditur; quod illa esset talis cui voluntas consentire vel dissentire posset; hæc verò sit naturâ suâ necessitans. Juxta nos, in eo utraque discrepat, quod gratia Adamo innocenti data fuerit elicitiva tantum & potestatis intrinsecæ habitualiter completiva; gratia autem nostri statûs non sit elicitiva tantum, sed actualiter voluntatis infirmæ sanativa & à jugo concupiscentiæ liberativa. Hinc ea quæ Angelis, ut & Adamo, data est gratia, ita apud Augustinum opponitur gratiæ nostri statûs, ut possit dici relictâ in Angelorum arbitrio, & rectè agentibus gloria fuisse merces meriti; electis verò nostri statûs non item. Quod non prohibet tamen, ne per gratiam sanitatis Deus bonis Angelis dederit & posse bene agere & ipsum bene agere.

XXXVI.

Auxilium sine quo non, & auxilium quo.

PER auxilium *sine quo non*, ejus est frequens in libro *de correctione* & gratia mentio; intelligunt Novatores gratiam sufficientem; per auxilium verò *quo*, gratiam naturâ suâ necessitantem: unde cum ibi Augustinus opponat gratiam sanitatis gratiæ medicinali, colligunt non nisi gratiam invincibiliter efficacem nunc dari. At præterquam quod gratia Adamica habitualiter elicitiva, auxilium *sine quo non*; gratia autem lapso- rum actualiter liberativa auxilium *quo* rectè dici potest: per auxilium *si e quo non* intelligit sanctus Doctor præcisè statum illum gratiæ unde, licet per talem gratiam roborata, Adami voluntas poterat excidere: per auxilium *quo*, non quamlibet statûs nostri gratiam, non eam quæ ad

singulos actus necessaria est, sed unicum perseverantiæ finalis donum solis electis nunc concessum.

PRÆDESTINATIO ET REPROBATIO.

XXXVII.

Prædestinatio ad gratiam.

PRÆDESTINATIONEM ad gratiam in genere, non minus quam ipsam gratiam, esse gratuitam nemo Catholicus diffiteri audeat: unde qui illam ad gratiam, præsertim efficacem, prædestinationem antecedenter ad ulla prævisa merita fieri negaret, non video quomodo & præcipuas gratiæ efficacis dotes, & eam quæ fit à Deo solo discretionem, & specialem quæ Deo in Scripturâ tribuitur circa electos curam Catholicè explicare possit. Quod quidem æquè intelligendum arbitramur, siue seriem gratiarum perseverantiam efficientium, siue ipsam perseverantiæ gratiam intelligas.

XXXVIII.

Prædestinatio ad gloriam.

PRÆDESTINATIO ad gloriam, ut hæc gloria salus est hominis, potest Catholicè in Deo admitti, vel ante vel post prævisa merita. Nos verò qui capere non possumus quomodo Deus eligendo ex mero beneplacito systema aliquod unum, in quo alios suâ culpâ damnandos, alios ope gratiæ quam dare decernit salvandos esse prævidet; non hac ipsâ suâ electione antecedenter ad merita absolutè futura hos prædestinet: nos, inquam, antecedentem eo sensu prædestinationem admittimus. Prædestinatio tamen ad gloriam, ut præmium est, sequitur merita absolutè futura, cum sit ipsum simplex Dei decretum dandi illud præmium intuitu meritorum.

XXXIX.

Reprobatio à gratiâ efficaci.

CUM reprobatio à gratiâ efficaci, v. g. perseverantiæ, sit ipsa non prædestinatio antecedens & decretum in Deo dandi gratias quas prævidet non habituras effectum; dicenda est, æquè ac prædestinatio, antecedere merita vel demerita absolutè futura: cum eo tamen discrimine, quòd illa mediorum inefficacia non sit directè & positivè, sed tantum indirectè & permissivè intenta; quatenus nempe Deus utitur jure suo non omittendi gratias aliquas, ex eo quòd prævisæ sint culpâ hominis non sortituræ effectum. Siue autem illa à gratiâ efficaci reprobatio oriatur ex occasione peccati originalis, ut videtur sentire Augustinus; siue non, ut probabile est, nemini Deus injuriam facit.

XL.

Reprobatio à gloriâ.

ET SI homines aliquos à gloriâ, ut gloria est præcisè & hominis salus, antecedenter ad demerita absolutè futura negativè reprobari dicatur omnino Catholicè, cum ista reprobatio negativa nihil sit, ut diximus, quam ipsa positiva à gratia efficaci reprobatio: tamen positivam ab eadem gloriâ reprobationem non nisi consequenter ad demerita fieri docet fides Catholica; & contra Calvinum, qui hanc etiam antecedenter ad ullum omnino peccatum ex merâ Dei voluntate accidere, & contra Janfenium qui hanc consequenter ad peccatum originale tantum à Deo decerni contendit.

HÆRESES CIRCA GRATIAM.

Circa gratiam erraverunt, inter veteres Pelagiani & Semipelagiani, inter recentiores Calviniani & Lutherani Prædestinarianorum discipuli & Jansenianorum magistri.

XLI.

Pelagianismus.

PELAGIANI scilicet existimantes primum hominem peccando sibi soli nocuisse, adeoque peccatum ullum in nobis originale negantes, easdem quæ in Adamo innocente fuerant hominibus etiamnum vires tribuerunt. Unde inter alios qui ex eo dogmate fluunt errores, verus, genuinus & præcipuus eorum circa gratiam error in eo præcisè fuit; quod interiorē gratiam, eamque ad singulos actus salutare necessariam esse simpliciter negarent; his autem perficiendis ingenitas naturæ liberæ vires per se solas sufficientes in Adamo fuisse, & in posteris ejus pariter (positâ Christi lege, doctrinâ & exemplo) sufficere asseriebant.

XLII.

Semipelagianismus.

ETSI alii aliis tolerabilius erraverint Semipelagiani, in eo tamen omnium fuit verus error; quod solius naturæ lapsæ conatibus & desideriis bonis initium fidei ac salutis tribuerint, quibus tanquam merito aut saltem dispositioni positivæ & requisitæ per se daretur prima gratia ad cætera deinceps justitiæ opera incipienda & perficienda necessaria. Hinc supposititius & à Jansenio confictus Semipelagianorum error, quasi in eo hæretici fuerint; quod ad primos actus salutare admiserint tantum gratiam cui voluntas consentire vel dissentire posset, negaverint autem gratiam interiorē, quam necessariam esse fatebantur, esse quoque necessitantem. Quod quidem in quartâ Jansenii propositione summi Pontifices damnaverunt ut hæreticum.

XLIII.

Prædestinarianismus.

EX malè intellectis Augustini libris orta est Pelagianæ & Semipelagianæ hæresi opposita hæresis Prædestinariana. In illius principiis, Deus ante ullam meritorum demeritorumve actualium prævisionem, hominum alios ad vitam æternam, alios ad mortem æternam positivè destinavit, impositâ utrisque ineluctabili necessitate ut eò pergant quò destinati sunt: hinc asseritur & Deum velle Prædestinatorum duntaxat salutem, & Christum pro his solis sanguinem fuisse. Utrum verò hos errores sæculo nono renovavit Gothescalcus, necne, parum refert. Ad refellendos enim Jansenianos qui Prædestinarianismum merum esse phantasma clamitant, sufficiat: 1°. Hanc hæresim sæculo quinto professum fuisse Lucidum, & in illo damnassem Synodos Arelatensem tertiam & Lugdunensem: 2°. Hanc sæculo decimo sexto Lutherum & Calvinum fecisse suam.

XLIV.

Jansenismus.

EX tam impuris fontibus emerfit hæreticum Jansenii dogma, qui indignam Deo prædestinationem propugnans liberum hominis arbitrium evertit, dum & gratiam efficacem esse necessitantem asseruit, & gratiam verè ac merè sufficientem rejecit, ut *adjutorium lapsorum reparationi inutile*, ut *gratiam monstruosam*, ut *gratiam quam qui asserit nihil aliud im-*

prudens facit, quàm ut originalis peccati virus evacuet. Tamen Janseniani quidam ludentes in verbo gratiam admittunt quæ sit sine effectu ad opus salutare, quam nomine sufficientis donant: at cum ea quam obtrudunt gratia sortiatur semper effectum ad quem datur, nec ad ipsum opus salutare detur, gratiam verè sufficientem Catholico sensu non admittunt.

XLV.

Jansenismi dogma capitale.

IN eo constituitur Jansenismi dogma capitale; quod ex geminâ delectatione, aliâ quidem Charitatis & amoris cœlestis per gratiam de se efficacem, aliâ verò amoris terreni per Concupiscentiam omni auxilio frænativo destitutam, alternatim superiore ac proinde alternatim per se victricem *insuperabiliter*, oriatur partialis, ut vocant, relativa, & mutationis pro variâ vi necessitante capax necessitas. Ex hac enim necessitate agendi sub robustiore vel Charitate, vel Concupiscentiâ; ex hac non jam activâ, sed passivâ voluntatis indifferentiâ semel stabilitâ sequuntur quinque illæ famosæ propositiones toties tanquam hæreticæ damnatæ.

XLVI.

Jansenismi realitas.

SUNT qui Jansenismum sic intellectum ore damnantes & animo retinentes, quinque illas propositiones dicant hæreticas, sed ad arbitrium confictas asserant & negent in Jansenii scriptis contentas: hoc ipsum est quod aiunt, *Jansenismum esse merum phantasma*. At quàm certum est has propositiones esse in se ipsis hæreticas, tam verè constat easdem, & in Jansenio saltem quoad substantiam reperiri, & in obvio atque à Jansenio intento sensu damnatas esse. Quæ qui negaverit, is & evidentissimum rationis lumen, & sacram summorum Pontificum, imò Ecclesiæ totius auctoritatem hæretico animo contemnit.

D. AUGUSTINI DOCTRINA DE GRATIA.

Nihil non ad declinanda Ecclesiæ fulmina moliantur hæretici, ut hac in re Augustinum totum esse suum ostendant. Quod etsi æquè verum foret, ac falsum est, an continuò totam Conciliorum, summorum Pontificum, Patrumque traditionem deferere cogeremur?

XLVII.

Augustini scopus.

CUM disputationis Augustinum inter & Pelagianos initæ scopus fuerit; ut ille ostenderet hominem, quem Pelagius supposebat salvari reipsâ & pervenire ad beatitudinem, opus habere auxilio aliquo interiori, non tantum quo posset salvari, sed quo etiam salvaretur reipsâ & ad beatitudinem perveniret: non mirum est, si Augustinus egerit sæpius contra Pelagium de solâ gratiâ efficaci, non cujuscunque boni motûs, sed operis meritorii: non mirum est si voluntatem in Deo esse salvandi omnes homines, si Christum pro omnibus mortuum fuisse aliquo sensu negaverit; hoc scilicet quod nec voluntas Dei circa salutem omnium, nec ipsa Christi mors pro omnibus effectum sortiatur; de quo uno præcipuè erat quæstio.

XLVIII.

Augustini doctrina de gratia efficaci.

HAS quidem gratiæ efficaciæ proprietates Augustinus assignat, quod sit speciale beneficium, quod det velle & operari, quod sit instrumentum omnipotentiae divinæ ad inclinandam quod voluerit voluntatem

nostram, quòd adimat nobis causam de bono opere gloriandi, quòd moveat *indeclinabiliter & insuperabiliter*, quòd ei aliquo sensu (usuali scilicet) non possit resisti. At sequitur tantum gratiam, juxta Augustinum, dici & esse verè efficacem à proposito efficaci & absoluto, vi cujus sub luce scientiæ mediæ formati datur. Et verò invincibilem absolutè delectationis cœlestis superioritatem non intellexit, qui nunc in homine salutariter agente libertatem indifferentiæ existere toties affirmavit.

XLIX.

Augustini de gratiâ sufficiente doctrina.

QUAM verum sit præter gratiam efficacem, de quâ cum Pelagio agebatur præcipuè, Augustinum aliam verè interiorem, dantem completam benè & salutariter agendi potentiam, talem cui in hoc nostro statu resistatur admisisse; hoc unico & simplici ratiocinio evincitur. Qui admisit mandata Dei ne quidem iis qui ea violant esse saltem remotè impossibilia, qui veram in homine nunc peccante libertatem indifferentiæ agnovit, is certè gratiam verè & melè sufficientem admisisse dicendus est; hæc enim omnia eodem recidunt: duo priora dogmata passim asseruit Augustinus: ergo & posterius stabilivit.

L.

Augustini doctrina de peccatis necessariis.

QUID de infidelium operibus senserit Augustinus jam supra exposuimus. Sanctum Doctorem necessaria quidem peccata in hoc statu, sive ex ignorantia invincibili, sive aliunde orta agnovisse non diffitemur: verum licet paulò durius aliquando hac in materiâ locutus fuerit, nullam tamen in iis peccatis culpabilitatem admisit, nisi eam quæ reperitur in radice non remissa, sive peccati originalis, sive peccati actualis unde orta sit peccandi necessitas. Peccata quæ necessariò fiunt esse in se culpas formales nefas sit dicere: at esse culpas formales in radice, seu non distinctas à radice culpabili, quid verat asserere?

LI.

Concordia gratiæ & libertatis apud Augustinum.

SUNT qui calumnientur, Augustinum gratiæ efficacis cum libertate concordiam; 1°. capere non potuisse, ita ut istæ voces, *ô alitudo!* ab eo frequenter usurpatæ esse ibi mysterium inscrutabile demonstrent; 2°. etiam negasse, adducti hac sententiâ, *quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. At 1°. textum priorem in prædestinationem ipsam seu gratiæ efficacis distributionem cadere intelliget, quisquis vel leviter Augustinum attigerit. 2°. Textum posteriorem, *clarissimum illum & præclarissimum* (ut vocant) in favorem Jansenii textum, ne leviter quidem errori damnato patrocinari, totuplici demonstratur capite, quoruplex fermè in eo vox continetur.

F I N I S.

